

eloquentiae contenderit, sed a nonnullis etiam eruditis hominibus, qui Quintiliani saeculo fuere, Lisiae praelatus sit. Tacitus auctor est eum non minus viginti orationes scripsisse, ex quibus tres in Vatinium potissimum celebrabantur, quem, cum per vim et factionem praeturam primum, postea ceteros quoque honores per ambitum petiisset, vehementissime accusavit. Severius de eo, ne dicam iniquum, iudicium Cicero tulit in Bruto: «*orator fuit et cum litteris eruditior quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus; quod quamquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se atque ipse sese observans metuensque, ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata doctis et attente audientibus erat illustris; a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur*». In ipso aetatis flore et virium mortuus est anno post conditam Urbem septingentesimo sexto.

Quint. X.
Inst. 1. 115.

Cic. Brut.
82. 283.

Cl. C. Asinius Pollio historiam, poeticam, oratoriam coluit simul. Adulescens in Gallia sub Caesare stipendia meruit, cui constantissime in omnibus belli civilis vicissitudinibus fuit addictus; nam numeratur inter eius familiarissimos, qui cum eo Rubiconem transierunt; cum eoque in Africa contra Pompeianos fuit. Caesare interfecto, Antonii partes eodem constanti animo secutus est, quo cum Lepido Octavianoque pro viribus conciliare conatus est; inito triumvirorum foedere, missus est ab Antonio in Parthinos, Dalmaticam gentem, quae Bruti partibus faverat. In itinere cum esset, a Virgilio, qui eius beneficio — praeerat enim agris dividendis — praedia non amiserat, celebratissimam eclogam octavam accepit. In Dalmatos bellum deinceps illaturus ab Helvio Cinna carmine celebratus est, quod Propempticon Pollionis inscribebatur, de quo paulo supra mentionem fecimus, ab Horatioque post triumphum laudatus. Deinceps cum se a reipublicae curis remotus in privatam vitam abdidisset,

Plut. Caes.
pag. 723.
D. E.

Horat. II.
Carm. 1.

Vellei II.
Hist. Rom.
86.

Augusto ab eo percontanti, ut secum ad Actiacum bellum proficisceretur «*Mea*» inquit «*in Antonium maiora merita sunt; illius in me beneficia notiora; itaque descrimini vestro me subtraham et ero praeda victoris*». Bibliothecas primum sumptibus suis «*Graecas simul atque Latinas*» Romae fecit «*additis auctorum imaginibus in atrio, quod de manubijs magnificentissime instruxerat*». Anno aetatis octogesimo in villa sua Tusculana obiit, decimo post Christum natum.

Isid. VI.
Orig. 5.2.

Quint. X.
Inst. 1. 113.

CII. Primum oratoris curriculum vix viginti duos annos natus iniit oratione in C. Porcium Catonem habita; Augusti vero temporibus pro Nonio Asprenate de veneficio accusato eximie dixit, posteaque Moschum rhetorem et Appollodorum eodem crimine accusatos defendit, alios praeterea alijs de causis patrocিনatus est. De eo Quintilianus protulit iudicium: «*Multa in Asinio Pollione inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur, et consilii et animi satis; a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit saeculo prior*». Eius aetatis quoque scriptorum criticus acerrimus fuit; etenim Sallustio obsoletorum verborum studium obiecit; Caesari narrationum veritatem infirmavit; *Patavinitatem* Livio vitium attribuit. Adversus Ciceronem iniquior exstitit, cuius dictionis vitia quaedam asperius insectatus est. Amissa libere dicendi facultate post reipublicae cladem, coetibus hominum domum suam convocatis, primus scripta sua recitare consuevit, ex qua consuetudine declamantium recitationes in scholis et in porticibus invaluerunt.

Cic. pro Cael.

CIII. In clarissimorum oratorum numero habitus est M. Caelius Rufus, qui Ciceroni puer ingenuis erudiendus artibus a patre traditus est. Adulescens natura proclivis ad vitia sine modo in flagitia se ingurgitavit; id tamen nihil impedivit, quominus honorum quoque cupiditate inflammaretur. C. Antonium, Ciceronis collegam in consulatu, de maiestate accusavit, L. Atratinum de ambitu; rursus et ipse ab huius filio in iudicium vocatus est de auro, quod a Clodia

— eius enim amator exstiterat — sumpsisset et de veneno, quod eidem paravisset. In iudicio, etsi pro eo Cicero dixit causam oratione quae exstat, ipse pro se ad populum oravit. Tribunus plebis creatus, Milonis causam ad populum egit, subinde aedilis curulis concionem «*de aquis*» habuit, quam laudat Frontinus. Cum inter Caesarem et Pompeium bellum civile exarsisset, parum constans sibi, quippe qui ad id tempus cum senatu bonisque civibus stetisset, popularem illius partem secutus est. Statim praetor creatus, cum tabulas novas de re aliena remittenda legesque alias iniquas tulisset, omnium in se odium concitavit, ut Servilius eius anni consul concionantem eum de rostris deduxerit. Urbe pulsus, cum Milone, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se coniunxit; at cum uterque bellum inferre moliretur, interfectus est. Multum in eo oratoris ingenium fuisse novimus ex Quintiliano, multam praecipue in accusando urbanitatem, qua de causa Cicero bonam quidem eum dexteram, malam autem sinistram habere dicere solitus erat. Exstant nonnulla eius orationum fragmenta, quorum pulcherrimum apud Quintilianum, in quo C. Antonii, Ciceronis collegae, pertristes bacchationes describuntur. In eius orationibus verba quaedam satius antiquitatem redolentia notat Tacitus, verum nitorem in quibusdam saltem partibus laudat et altitudinem atque eorum temporum artem undique expletam in hoc quoque oratore dignoscit. Caelii ad nostram memoriam septendecim litterae ad Ciceronem missae pervenerunt, quae in libro octavo huius ad familiares continentur. Valde perurbano et acuto facetoque sermone probantur, adeo ut secundum post Tullianas locum tenere censeantur, primum si cum Plinianis conferantur. Caesar quoque inter huius aetatis Atticos oratores ponendus est, quem hoc loco missum faciam — de eo paulo supra locuti sumus — dummodo eius eloquendi facultatem imperatoriam fuisse dixerimus.

Suet. de clar. Rhet. 2; Cic. pro Mil. 33.

Front. de Aquaed. 76.

Liv. Epit. CXI.

Quint. X. Inst. 1. 111; VI., 3, 69.

Tac. de Orat. 21.

CIV. Eodem dicendi genere, quod Atticum nuncupatum

est, orator nobilissimus alius, M. Iunius Brutus, ille qui Caesarem interfecit, ingenio suo atque natura non minus quam familiae institutione est usus. Pueritiam satis tristem egit; nam septem vix annos natus patrem amisit, quem a Cn. Pompeio interfectum esse traditum est. Adulescens non litteris tantum Latinis et Graecis se tradidit, sed philosophiae etiam et eloquentiae sedulam operam navavit. Audivit enim Pammenem rhetorem, Aristum academicum et Antiochum Ser. Sulpicium. Pugnae Pharsalicae, ut senatus populi que libertatem defenderet, cum Pompeianis interfuit. Quod vero haud impedivit quominus, his profligatis, peramanter quidem, sed callide, tamquam filium eum Caesar exceperit, et Galliae Cisalpiniae administrandae praefecerit. Nihilominus spe libertatis civitati restituendae iterum inflammatus, facta coniuratione cum Cassio, patrem adoptivum nefarie necavit. Interfecto Caesare Brutus ex Urbe Lanuvium discessit, deinde in Macedoniam profugit. Commissa ad Philippos pugna, qua sors popularium demum exagitata est, cum non temere neque propter ignaviam de se desperaret, de libertate, de republica, contuens cum illis omnia praecipitare atque corruiere, certo animo firmatoque, tamquam si adversis sibi et patriae fati irridere vellet, in gladium pulchre incumbere placuit ac protinus extremum halitum vinculis liberatum in auras tandem efflare.

CV. Multis eum locis laudat Cicero, de eius vero eloquentia fusius loquitur in Bruto, quem ei cum libris compluribus aliis dicatum addixit. Pro temporum ordine eius adnumerantur orationes de dictatura Pompeii, pro T. Annio Milone, pro Appio Claudio Pulchro, in eiusdem laudem, pro rege Deiotaro, laudatio M. Porci Catonis Uticensis, oratio Capitolina, conciones. Postridie eius diei, quo Caesar est interfectus, causam suam et interfectorum ad populum dicere ausus est idque Cicero in epistula ad Atticum memorat: «*Brutus noster misit ad me orationem suam habitam in*

Val. Max.
VI. Mem. 2.8.

Cic. Brut. 24
et 97; I.
Acad. 3; V.
Tusc. 8; XIII.
ad Att. 25.

Vellei. II.
Hist. Rom.
70; Flor. IV.
Epit. 7.

Cic. Brut.
6.24; 97.
331-333.

concione Capitolina, petivitque a me, ut eam sine ambitione corrigèrem antequam ederet. Est autem oratio scripta elegantissime sententiis, verbis ut nihil possit ultra. Ego tamen si illam causam habuissem, scripsissem ardentius. Ὑπόθεσις vides quae sit et persona dicentis. Itaque eam corrigere non potui». Quibus statim addit de Bruti dicendi facultate iudicium. «Quo enim in genere Brutus noster esse vult» — loquitur de genere illo Attico quod supra memoravimus — «et quod iudicium habet de optimo genere dicendi, id ita consecutus est in ea oratione, ut elegantius esse nihil possit. Sed ego secutus aliud sum, sive hoc recte sive non recte». Bruti nonnulli quoque librorum tituli circumferuntur, in quibus «De virtute ad Ciceronem» «Περὶ καθήκοντος» «De patientia».

Cic. XV. ad
Att. 1. b.

Cic. I. de
Fin. 3; V.
Tusc. 1.

Sen. ep. 95.
43.

Cic. II. de
Off. 16.

Cic. Brut.
51. 190.

CVI. Ex oratoribus, qui Asiatici appellati sunt, auctor et princeps Q. Hortensius Hortalus fuit, qui quidem non industria aliqua et studio factus orator, sed quasi natus statim sine multo usu eius memoriae hominibus visus est. Adulescens undeviginti annorum orationem illam pro provincia Africa dixit maxima omnium admiratione et consensu, qua praetores eius provinciae de pecuniis repetundis accusavit. Munera publica omnia gessit; tribunus militum fuit, quaestor, aedilis curulis — aedilitatem hanc Cicero magnificentissimam fuisse testatur — deinde praetor; cum Q. Caecilio Metello, consul demum. Optimis ita auspiciis curriculum eloquentiae ingressus, saepe in iudiciis adversarius Ciceronis fuit, saepius etiam cum eo causas partitus est, non in reis defendendis modo, sed in incusandis quoque ita tamen, ut perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper Ciceroni relinqueret. Nec eo gloriosi tantum laboris aut adversario, aut collega in foro usus est Cicero, sed in accipiendis quoque communicandisque studiis et officiis familiaritate et consuetudine cum eo coniunctissimus fuit.

CVII. Orationes plurimas, quarum autem ne particula

quidem reliqua est, dixisse multis in causis satis constat. Orationes eius ad sex et viginti apud scriptores memorantur, in quibus praeter illam pro provincia Africa, quam mox nominavimus, sunt pro Nicomede, rege Bithyniae, pro Cn. Pompeio, pro M. Canuleio, pro Terentio Varrone, pro Verre adversante Cicerone, et dissuasiones Gabiniae et Maniliae legum. Germano quodam et recitandi et agendi genere, ac si in scaenis et in theatro miro artificio fabulam doceret, vehementer qui audiebant delectabat. In agendo ei erant pares cum Cicerone virtutes, in scribendo inferiores, quo facilius factum est, ut a posteritate negligeretur. Abundantia rerum ut vivere domi ita verborum copia loqui voluit. Traditur enim primus in mensa pavones posuisse, piscinas extruxisse primus, praeterea multas villas habuisse. Ergo rerum quoque copiam in dicendo insectatus est et verborum abundantiam, qua sententiarum mediocritatem quandam occultabat; oratio tamen et mollis et volubilis, multis luminibus exornata, verborum frequens suoque arbitrio, copiosioris fluminis iustar quod rapiditate ipsa aquarum vix ripis contineri posset, ex eius ore profluebat lateque in audientium auribus usque resonabat. Cum huic dicendi generi nimis indulisset, suo tamquam genio correptus, miserrime obiit in rostris, ac si in prima acie miles acriter et gloriose decertans morti, suo in munere fungendo, occubisset. Etenim, cum Appii Claudii causam vehementius ac solitus esset et contentius diceret, propter nimium animi ardorem incredibilemque mentis animique concitationem, rupta venula quadam in pectore, in suggestum concidit, allatusque lectica domum post paucos dies mortuus est. Eius casum Cicero suavissima oratoris perempti recordatione commotus peramanter deflevit in libri prooemio, qui Brutus inscribitur; quod, quem bene cordatum hominen legentem non ad miserationem et ad pietatem movet? «*Cum e Cilicia decedens*» ait «*Rhodum venissem et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione*

*Brut. passim
et
praesertim
88. 301-303.*

omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso cum consuetudine iucunda tum multorum officiorum coniunctione me privatum videbam et interitu talis auguris dignitatem nostri collegi deminatum dolebam; qua in cogitatione et cooptatum me eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem; ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam. Augebam etiam molestiam, quod magna sapientium civium bonorumque penuria vir egregius coniunctissimusque mecum consiliorum omnium societate, alienissimo rei publicae tempore extinctus, et auctoritatis et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat; dolebamque quod non, ut plerique putabant, adversarium aut abtrectorem laudum mearum, sed socium potius et consortem gloriosi laboris amiseram ». Fortunatum! qui talem praeconem invenerit.

M. TULLIUS CICERO

CVIII. Restat ut ad M. Tullium Ciceronem veniamus, qui non totius modo Latinae eloquentiae lumen et quasi portentum fuit, sed ceterarum quoque disciplinarum auctor et quasi magister omniumque temporum in primis laudabilis scriptor. In agro Arpinati honestissima familia, quam ex regio Volscorum genere fuisse Eusebius tradit, patre vero equestris ordinis a. d. III. Nonas Ianuarias anno sexcentesimo duodequingagesimo post conditam Urbem ortus est. Etiam adolescentulus Romam in urbem omnium disciplinarum sedem venit, ut honorum stadium, si sibi omnia ad id munimenta necessaria comparavisset, quam maximis viribus quamque citissime posset currere eniteretur. Ingenuarum litterarum magistros Archiam poetam Aeliumque Stilonem nactus est, quorum ab altero adeo poeticae studio inflammatus est, ut vix sedecim annos natus de Glauci fabula Anthedonii pesca-

Cic. VII. ad Att. 5. 3; II. de Leg. I. 1.

Cic. pro Archia; Brut. 56.207.

toris poematum concinnaret; ab altero vero, equite romano egregioque viro atque eruditissimo, litteras omnes et Graecas et Latinas, antiquitatemque omnem una cum Terentio Varrone Rheatino perstudiose didicit. Ut autem ius civile edisceret multum operae dedit Q. Mucio Scaevolae, qui est *Augur* appellatus, multumque oratoribus cotidie audiendis, qui tunc principes erant, ut Antonius, ut Crassus, ut postea autem Hortensius; quos cum acriter causas dicentes aut inter sese disputantes audiret, et maximo gaudio afficiebatur et ea admiratione tenebatur, ut iam acres in se de eloquentiae principatu contendendo cum illis aculeos sentiret.

CIX. A studiis eum bellum sociale distinuit, cui miles interfuit. Militia vero functus statim ad studia, quae intermiserat, ardentiore animo se contulit. Tum a P. Sulpicio in tribunatu cotidie contionante totum genus dicendi penitus cognovit, eodemque tempore admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus Philoni, Academiae principi, qui Romam venerat, totum se tradidit. Eodem anno etiam Moloni Rhodio et actori summo causarum et magistro operam dedit, itemque Diodoto stoico, a quo in dialectica assidue exercebatur. Quibus studiis ita erat deditus, ut et noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versaretur; tamen, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset, et Latine, sed Graece saepius scriberet. In causis partes tunc primas Hortensius agebat; cuius aemulandi studio impulsus, ad causas et privatas et publicas cum adire coepisset anno sexcentesimo sexagesimo tertio pro P. Quinctio herciscundae familiae causam primo dixit. Postero anno, Hortensio adversante, pro Roscio causam publicam primam dixit, tantumque ob eam commendationis habuit, ut nulla esset quae non digna suo patrocinio videretur, idemque maximam de se futurae gloriae expectationem concitaret. Attamen cum summa laboraret fragilitate et infirmitate corporis — nam valetudinem nimio disciplinarum omnium studio amiserat — ut convale-

Cic. Brut. 89.
305-307; *I. ad*
Fam. 13.16.
4; *V. Tusc.*
39. 113; *Brut.*
90. 309.

Cic. Brut. 90.
312.

sceret edisceretque aliud remissius et moderatius dicendi genus in Graeciam profectus est. Athenis ergo cum esset biennium versatus, Antiochum academicum, Demetrium Syrum, non ignobilem dicendi magistrum, audivit. Hoc tempore vero arcto amicitiae vinculo sibi T. Pomponium Atticum adiunxit, quem deinceps in amicissimis constantissime habuit, cumque eo simul operam dedit Phaedro et Zenoni epicureis atque Eleusiniis sacris initiatus est. Athenis profectus Asiam totam cum summis oratoribus, quibuscum exercebatur, peragravit. Inde venit Rhodum ad eundemque quem Romae audiverat, se Molonem applicavit. Huius opera dicendi genus penitus mutavit repressa iuvenili quadam dicendi impunitate, qua redundans et supra modum fluens extra ripas interdum crescere solebat. Nimirum cum discessisset ab illa Asiaticorum oratorum copia et verborum abundantia neque ad siccam et nudam et pressam Atticorum orationem penitus accessisset, suum quasi dicendi genus constituit illud, quod medium inter reliqua duo Rhodium nuncupatum est.

Cic. Brut. 91
313-315.

Cic. Brut. 91
316.

CX. Romam cum rediisset in foro cum claris oratoribus habitare coepit, cum Cotta Hortensioque contendere; gestum et vocem a mimis Q. Roscio Aesopoque, qui placebant in scaenis, ediscere. Quo eodem tempore uxorem duxit Terentiam, et causas nobiles egit, cum quaesturam ipse, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius. Quaestor omnibus suffragiis dein renuntiatus, Siciliam provinciam in annum regendam sortitus est, quam vero ea fide aequitateque administravit, ut patrocinium insulae verius quam imperium nominari posset. Itaque post aliquot annos, cum eius rei gratia eorum patrocinium in Verrem de repetundis accusatum, actionem instituit, quam in omnem memoriam litteris dedit. Anno sexcentesimo duodenonagesimo aedilis creatus ludos ita publice apparavit, ut de industria et sumptibus immodicis parceret et simul illiberalitatis nota vacaret. Praeturam post tres annos adeptus, ultimum ad consulatum gradum fecit;

Cic. Brut. 92
318.

nam cum legem Maniliam de imperio belli in Mithridatem Pompeio assignando enixe suasisset, popularem auram in se concitavit; cui cum optimatum quoque favor accessisset, quo iam plurimum valebat, tertium quadragesimum annum agens consul in posterum annum omnium gratia primus inter sex adversarios est designatus. Quo consulatu inito, cum Catilinae coniurationem detectam oppressisset, tantam sibi laudem comparavit, ut *Pater patriae* a senatu appellatus sit. Attamen cum patricos quosdam Catilinae socios in coniuratione reos fecisset, eosque ex senatus consulto in vinculis necandos curavisset, et huius rei invidia, postquam consulatu abiit, et privato etiam Clodii tribuni plebis odio — in hunc enim accusatum, quod deae Bonae sacra violasset, testis acerrimus fuerat — hoc ipso ferente lex condita est, qua aqua et igni civibus interdiceretur, si quis sine iudicio capitis poena civem multavissent. Hac de causa, cum legem in se latam esse intellexisset, Roma profugit. Postero die, quam discesserat, cum gravis lex illa sancita esset additaque in eum peculiaris, Thessalonicam in exilium se contulit. Illinc sexto decimo mense ex decreto senatus, suffragiis cunctis totius Italiae Romam rediit, exceptusque ac si triumpharet ad Capenam portam, magno hominum concursu in Capitolium adductus est. Deinceps a publicis muneribus vacuus, cum in studiis sine intermissione versari in foroque frequentior esse coepisset in pristinamque apud cives omnes dignitatem atque honorem rediit; ita factum est ut, turpiter in Asia a Parthis Crasso interfecto, in augurum collegium in demortui locum cooptaretur et inauguraretur in eodem ab Hortensio. Hoc tempore in iudicio Milonis causam non sine ullo timore dixit; nam oratoris oculos armati milites terrebant et arma, centuriones et cohortes, quibus undique se stipatum et cinctum videbat. Non exstat oratio, quam Cicero recitavit — etenim quae in manibus omnium est, eam scripsit postea — quae perfecta ita est, ut e Quintiliani sententia prima haberi possit.

Cic. Brüt.

1. 1.

CXI. Septingentesimo tertio anno post conditam Urbem proconsul in Ciliciam missus est, ibique cum in hostes res bellicas nonnullas egregie gessisset, imperatoremque eum milites dixissent, sperare visus est fore ut triumphus a senatu decerneretur; qua in voluntate vis desiderii quaedam inerat ad sanandum vulnus iniuriae, quam Clodiana lege acceperat. Hinc cum Romam revertit belli civilis incendium extinguere conatus est, quod inter Pompeium Caesaremque similtates excitaverant. Frustra tamen, nam cum vehementius exarsisset, diu anceps fuit utrius partes sequeretur. A Pompeio tandem cum sibi standum esse censeret, anno septingentesimo quinto Dyrrhachium se contulit; at morbo laborans neque pugnae ad Pharsalum, neque ceteris in rerum omnium desperatione strenue quidem a Pompeianis pugnatu interfuit. In summis rerum discriminibus satius duxit se Brundisium recipere, quo ei Caesaris victoriae nuntium allatum est; nihilominus a Caesare veniam impetravit, factaque ei Romam redeundi facultate, in studia, tamquam in portum, e civilibus fluctibus perfugium invenit. Temporibus tamen haud penitus cessit; beneficia enim, quae a Caesare acceperat, non eum prohibuerunt, quominus, praesente Caesare, pro Marcello pro Ligario, pro Deiotaro rege, qui arma pro Pompeio sumperant, libere causam diceret.

CXII. Hoc tempore domesticis quoque curis vexatus est; nam Terentiae uxori — qua quidem de causa incertum est — nuntium remisit; deinceps Publiliam pupillam in matrimonium duxit, aut pupulae amore captus, ut Terentia dictitabat, aut potius pupulae divitiarum desiderio, quibus aes alienum persolveret, ut maledice Tiro libertus aiebat. Attamen amissa paulo post Tulliola filia, in qua effigiem oris et sermonis et animi sui viderat, quamque in oculis habuerat, cum aut aequo aut etiam laeto animo id funus tulisset Publilia, huic quoque repudium scripsit. In reipublicae nocte, quae tristibus umbris offudit omnia et forum libera oratoris

*Cic. II. ad
Fam. 10; XV.
4; V. ad Att.
18. et 20.*

*Cic. I. ad
Quint. fr.
3. 3.*

*Cic. Brut. 96.
330.*

cuiusque voce penitus orbavit, cum se in Tusculanam villam in litterarum sapientiaeque studia contulisset, eloquentiam, quam vehementissime adamaverat, liberali custodia saeptam domi continuit, ac si eam tamquam adultam virginem ab ignotis ac imprudentibus procis caste tueretur atque ab amatorum impetu, quantum posset, prohiberet.

*Cic. XII. ad
Fam. 13.*

*Respublica
Ciceronis
eloquentiae
flore ac
robore
orbatur*

CXIII. Interfecto Caesare, rempublicam tyranno liberatam ratus, propediem se in fori lucem venturum iterum speravit, quam spem simulac Antonius decepit, qui rempublicam in suum arbitrium atque potestatem facile redigere autumabat, cum bene beateque vivendi esset amantissimus, erecto animo iterum in aciem descendit Antonioque senatus iura usurpanti atque populi libertatem opprimenti, iisdem viribus eadem ratione, qua Philippo Demosthenes, bellum indixit. Ex rostris inquam; nam in Antonium sunt orationes quattuordecim, quae Philippicae appellatae sunt. His reipublicae fortunam iterum inclinantem restaurare visus est adeo ut, nuntio Mutinensis proelii Romam allato, cunctus populus eum domo in Capitolium ovantes adduxerit atque in rostra conscendere iusserit. At nihil id collabentis reipublicae fortunis profuit; nam icto foedere inter Antonium atque Lepidum Octavianumque, hic imperium se unum assequi posse exspectans a popularibus ad optimates defecit; rerum triumviri potiti sunt, Caesarisque nece causa interposita, vim et mortem in adversarios adhibuere. Antonii iussu, quem Philippicis suis orationibus irritaverat, proscriptus est Cicero. Quod cum novisset, properavissetque Italia fuga decedere, dum a villa sua apud Capuam, in quam secesserat, ad mare lectiga defertur, in itinere vi interceptus ab Antonii sicariis necatus est. Caput manusque trunco praecisa Romam ad Antonium delata sunt, qui, femineis execrationibus ex ore lingua excisa a Fulvia eius uxore, in rostris ad credulae et inconstantis multitudinis ludibrium collocari iussit.

CXIV. Atroci Ciceronis obitu flos eloquentiae omnis

*Ciceronis
indoles et
natura*

intercisis exaruit roburque reipublicae intercidit. Etenim interiit ex Romanis postremis haud ultimus vir, qui sane leviculus fuit, neque per adversa usque sibi publice constans; attamen cum in dies omnia corrumperentur, cum morum probitate tum singulari filiae, fratris, amicorum amore floruit; qui temporibus non magis tanto servivit quantum sapienti conceditur; qui in muneribus publicis gerendis, in suadendis legibus vel dissuadendis, utilitatem reipublicae unice spectavit; qui cum provincias administrandas accepisset, a rapacitate et rapinis sese penitus abstinuit, neque deorum templa nudavit, sed humanitate ea usus est, qua sibi plausum conciliaret; qui tanto libertatis studio tantaque in patriam caritate flagravit, ut his unis mentem et doctrinam dicaret; qui cum in terris omnia publico fato iacentia spectaret, non ignobili sui ipsius privato vindicavit fato. Mira qua fuit ingenii celeritate; idem navus natura et industrius, a puero ad extremam aetatem, litterarum et genera disciplinarum fere omnia aut ex aliis delibavit, aut meliora fecit, aut pertractavit. Statim adulescens in poeticam cum se contulisset, praeter poemata, quae ad litterarum quasi usum assequendum ex Graecis primus Latine reddidit, alia nonnulla composuit, aliaque multa aetate proventus; quae quidem, etsi divino poetarum afflatu carerent, tamen concinnitate quadam versuum locorumque varietate adeo distinguebantur, ut a veteribus rerum scriptoribus vehementer laudarentur. De poematis his, quantum ex reliquiis quae ad nos pervenerunt, aut ex monumentis colligi potuit, fusius iam suo loco diximus. Quae oratione soluta conscripsit, longe plura quam quae sermone numeris adstricto exaravit, tum libris, qui de philosophia deque rhetorica sunt, tum epistulis, tum orationibus maximam partem continentur.

CXV. Christi asseclis secundis, vel abundantia quadam fortunae, accidit ut, clarissimi scriptoris tot hodie exstant monumenta, quae cetera deperdita vehementius desiderare

*Forense et
civile ora-
tionum genus*

prohibeant; nam ex orationibus septem quinquaginta, eaeque integrae, prae manibus sunt; fragmenta ex viginti aliis adde nonnulla; adde ceterarum nomina ad triginta. In utroque eloquentiae genere summa cum laude versatus est Cicero; in altero enim, quod forense dicitur, non rabulas modo veteratoresque, quibus forum abundabat, et legum iurisque scientia et oratorio dicendi genere longe valde praestitit, sed clarissimos quoque inter patronos, ut Cottam, ut Hortensium statim princeps exstitit. In altero autem genere, ad quod civiles orationes spectant in primis, quae aut de universa republica, aut de legibus, aut singulis de rebus feruntur, suadendis vel dissuadendis aut abrogandis vel prorogandis, equidem unum Romanorum Ciceronem oratorem summum dixerim atque fama immortalem.

*Orationes,
quas ante
consularem
annum habuit*

CXVI. Ante consulatum multas privatas causas in iudiciis dixit; in his adnumerantur orationes quae exstant, «*pro P. Quinctio*» de re domestica huic a Caio fratre restituenda, quam pecuniae creditae titulo usurpaverat; tum «*pro Sex. Roscio Amerino*» qui de parricidio a L. Cornelio Chrysogono per C. Erucium quendam in falsam insimulationem vocabatur: nimirum Chrysogonus, quem Cicero in sua oratione acri dente lacerat, hoc iudicio in tutum se recepturum vaferrime sperabat, quod Roscii patrem ipse a Sulla proscriptum necavisset et in auctione patrimonium parvi emisset. His accedunt tum oratio «*pro Q. Roscio Comoedo*» qui Ciceronis in pronunciationis atque gestus exercitatione praeceptor fuerat, tum «*pro M. Tullio*» in Fabium, obscurum de plebe hominem, cuius familia vim fecisse Ciceroni traditur. Celebratissimae autem in hoc genere *actiones duae in Verrem* sunt, qui eximia latrocinia in Sicilia fecerat et «*Divinatio in Q. Caecilium*» quae re et tempore iudicium Verris praecedat. Huius accusandi facultatem sibi attribuit iure multo meliore, quam Q. Caecilius Niger Siculus, Verris assecla, ad se pertinere contenderat, quo accusationem ita

*Actio in
Verrem*

factitaret ut evanesceret. Sexcentesimo octogesimo quarto post conditam Romam anno « *Prooemium primae actionis* » summa vi pronuntiavit, instrumentisque causarum lectis testibusque praeterea quam plurimis productis, ita reum Verrem esse planum fecit, ut Hortensius ipse, cui tunc in causa Cicero multo et aetate et auctoritate inferior adversarius exstiterat, indicta ex sua parte causa de iure patrocini sui sponte decesserit, Verres autem citius exilium susceperit neque quid de eo iudices ferrent expectaverit. Nihilominus Cicero, ne gloriosi laboris fructu cives defraudaret, actionem secundam conscripsit, quam non recitavit. Haec orationibus quinque constat, quae « *de Praetura urbana* » « *de Praetura Siciliensi* » « *de Frumento* » « *de Signis* » « *de Suppliciis* » inscribuntur. Miram apparet ex his orationibus dicendi maturitatem Ciceronem esse assecutum; earum enim vis ac robur non minus in uberrima rerum copia atque veritate consistit, quam in ipso dicendi genere soluto, perspicuo, vehementi, quod imaginibus, lepidis deverticulis, verborum translationibus frequentissime distinguitur et illustratur.

CXVII. Postero anno « *pro M. Fonteio* » orationem in iudicio habuit. Verres alter hic, tota eum Gallia de reptundis accusante, in Gallia Narbonensi fuisse dicebatur. Verumne id an falsum fuerit ex Ciceronis oratione parum constat; nam nec tota est, nec in partibus, quae supersunt, adversariorum argumenta refelluntur; Galli potius facetissime ridentur qui, capite erecto in foro deambulantes, urbi ferro ignique minitantur. Ceterum sententiam, quam de eo tulerint subsellia, ignoramus. Reliquis annis, qui ante consularem annum fuerunt, ascribitur oratio, quam « *pro A. Caecina* » de iure hereditario habuit; et quam « *pro A. Cluentio Habito* » qui quidem non solum veneficii crimine in vitricum suum Oppianicum iudiciis et signis insimulabatur, sed etiam quod in priore iudicio quaestibus iudicum sententias corrupisset, quod quidem et ipse Cicero in defendendo Scamandro quo-

dam liberto aliquomodo probaverat. Quare ut accusationem alteram facile propulsavit, ita artificia excogitanda fuerunt, ut ex altera quoque culpa eum liberaret. His privatis causis alia et re et genere diversa accedit oratio, quam praetor de imperio contra Mithridatem regem Pompeio conferendo ad populum ex rostris dixit. Nam cum lata esset a Manilio, oratione « *pro Lege Manilia* » Pompeius laudibus ornandus fuit; quamquam temperate ornandi copiam est prosecutus. Hac oratione, quam ad consularem annum magnificentissime in posteritatem omnem illustrandum pronuntiavit, gradum ad civilem eloquentiam primum fecit.

Orationes,
quas consul
habuit

CXVIII. Eodem die quo consulatum iniit, qui dies fuit Calendae Ianuariae sexcentissimi nonagesimi primi anni post conditam Urbem, orationem habuit « *de Lege agraria* » in senatu; ceteras quattuor, quarum ultima non exstat, diebus subsecutis in concione ad populum dixit. Lex agraria, seu Servilia, quam de agris Italiae, Syriae, Asiae, Libyae vendendis et provinciarum, quas Pompeius subegerat, Rullus plebis tribunus tulerat, ut civibus pauperibus lucrum ex agrorum venditione divideretur, Cicerone acriter dissuadente, perlata non est. Eodem anno « *pro C. Rabirio perduellionis reo* » a iudicibus renuntiato causam dixit, quod Appuleium Saturninum, turbulentissimum tribunum plebis, septem triginta annis ante in curia conclusum interficiendum curaverat; neque Rabirium tantum, senem iam, poena exemit, verum optimates quoque et tribunos necis suspitione atque infamia liberavit. Nam tribuni ipsi, sacratis violatis, Saturnino contra ius divinum atque humanum vim atque necem intulisse credebantur. Orationem istam splendidam et civilis sapientiae laude praestantem in contione ad populum dixit, ad quem, contra sententiam magistratum, provocationem Rabirius fecerat; nihilominus sententia iudicum populi suffragio confirmata atque rata fuisset, nisi Q. Metellus Celer, eius anni praetor, idemque augur, citius dimitti comitia iussisset.

CXIX. Postridie Nonas Novembres eiusdem anni divino quasi nuntio Catilinae coniurationem detexit, alteroque ab his die in turpissimum facinoris auctorem, in Iovis aedibus inter patres sedentem, subita mentis animique inflammatione percitus, quam vehementissime invectus est, ut eum Urbe exterminatum illico in exilium proficisci coegerit. Proxima die iterum in concione, civitate affluente, quae per insidias reipublicae pararentur facinora, civibus ostendit. Coniuratorum consilia coram populo a. d. III. Nonas Decembres tertium repetivit addiditque arma a perfugis apud Allobroges parata iam in patriam inferri. Qua habita oratione ita civium mentes commotae sunt, ut statim oratorem patrem patriae appellarent, statimque in posterum diem senatus in aedes Concordiae vocatur sententiam de coniuratis laturus. In senatu primus Caesar sententiam dixit: placere sibi bona coniuratorum publica populi Romani fieri. At consul, idem suadente Catone, vehementissima oratione, memoratis Catilinae sceleribus, quasi in animo omnia reipublicae mala a Catilina tantum ventura praesagiret, cuius audacia in tot rerum praesentium discrimina civitas venerat, ratus se et suum consulatum ad salutem populi Romani prope fatalem existitisse, per omnia patres est precatus, si patriae prospicere, si se, si coniuges, liberos, fortunas suas, populi Romani nomen salutemque defendere vellent, supplicium de coniuratis pro nefandissimo scelere sumendum esse decernerent. Quae Ciceronis consulis sententia cum maiori senatus parti placuisset, indicta causa, in vinculis vespere coniurati iugulati sunt. Tenebris ad concubiam noctem offusis, eius rei nuntius eum a Cicerone illo uno verbo «*vixerunt*» ad populum in viis expectantem esset allatus, clamores omnium et admirationes excitavit. Catilinam arma in patriam nefarie inferentem desperatissimeque pugnans paucis diebus post consul alter Antonius ad Pistorium interfecit. His rerum eventibus, quibus sua tempora dominari visus est, Ciceronis illud:

*Orationes
quatuor in
Catilinam*

« *Cedant arma togae concedat laurea laudi* » scite dictum apparet. Sunt quattuor istae in Catilinam orationes, quae optimo iure totius Latinae eloquentiae quasi lumina celebrantur; nam non orationis genere oratorem tantum principem probant, sed vehementi reipublicae studio atque in patriam amore ardentem virum, atque virum plane Romanum, fuisse Ciceronem ostendunt.

*Orationes,
quas post
consulatum
ad exilium
dixit*

CXX Extremo consulatus anno « *pro L. Murena* » causam dixit, qui cum in comitiis consul in annum esset renunciatus, et a Ser. Sulpicio Rufo, iurisperito haud ignobili, et M. Catone stoico, adversariis eius, de ambitu accusaretur, liber ex iudicio discessit. Deinceps inde ad exilium tres ab eo in iudiciis orationes habitae memorantur, quae quidem exstant. Primam « *pro P. Cornelio Sulla* » dixit, quem aut falsa proditionis insinuatione, ac si Catilinae coniurationi favisset aut quod falsam ipse duceret, facili defensione liberavit. Secundam causam « *pro A. Licinio Archia* » quo magistro puer usus erat, quam venustissime egit; huic enim Archiae homo quidam ignotus, Gratius nomine, ius civitatis negabat, eumque ex lege Papia non alia, ut videtur, causa praeter invidiam cum ceteris peregrinis urbe exterminandum autumabat. In re levicula novo defensionis genere usus est Cicero: nam, facta poetarum laudatione, facunda sane atque concinna, magistrum in integrum restituit. Equidem iudices, arbitror, quibus Quintus, Ciceronis frater, eius anni praetor, praecerat, consularis patroni gratia poetae satis claro, nullo nisi per nefas obstante, civitatem voluisse gratificari, qua iamdiu utebatur. Tertiam vero causam, satis quidem difficilem « *pro L. Valerio Flacco* » suscepit qui post propraeturam, quam in Asia gesserat, de repetundis a D. Laelio postulabatur. Hunc, quamvis multis testibus astrictum, nugis quibusdam adhibitis, quas ab oratione, cum eam edidit, detraxit, gravi periculo lepidissime liberavit.

CXXI. Postquam vero ex populari rogatione ab exilio

revocatus summa cum dignitate in Urbem triumphans ingressus est, quattuor orationes pronuntiavit, quae « *post Reditum in senatu* » « *post Reditum ad Quirites* » « *de Domo sua ad pontifices* » « *de Haruspicum responso* » inscribi solent. Tribus prioribus statim post reversionem senatui, populo, pontificum collegio beneficii accepti gratias peramanter agere voluit et se suaque facta in consulari anno defendere, quae ansam ad eum reprehendum in exiliumque mittendum adversariis ob odia privata praebuerant. Pontificibus, in oratione ad eos habita, dedicationem domus suae deae Libertati nullam esse ostendit. Quam sententiam senatui quoque proximo anno adversus P. Clodium comprobavit, qui omina ab auguribus accepta atque infausta quaedam prodigia religioni domus Ciceroni redditae vertebat. Non defuerunt, qui orationes istas tamquam subditicias a Tullianis expungendas esse censerent easque recentiori cuidam ignoto declamatori, qui exercitationis causa eas fortasse conscripsisset, ut suas addicerent. Equidem contra eorum sententiae minime assentiendum esse credo; unus enim sonus est istarum cum ceteris certe Tullianis orationibus, atque idem stilus. Neque rursus mihi ab eius ingenio alienum videtur, oratorie gratias egisse civitati, quae cum ipse ad portam Capenam venit, gradus templorum compleverat, ut gratulationem maximo plausu significaret, quae incredibili multitudinis frequentia eum usque ad Capitolium celebraverat. In Capitolio autem, eo loquente, miranda multitudo fuit. Ceterum testis in criticos acres pro se Cicero ipse exhiberi solet, qui eodem anno ad Atticum scripsit: « *postridie [reditus] in senatu qui fuit dies Nonarum Septembr., senatui gratias egimus* »; proximoque anno ad eundem: « *Secuta est summa contentio de domo. Diximus apud pontifices pridie Kal. Octobres. Acta res est accurate a nobis, et si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si numquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. Itaque oratio iuventuti nostrae*

*Orationes,
quibus post
reditum ab
exilio senatui
populoque
gratias egit*

*Cic. IV. ad
Att. 1. 5 et
2. 2.*

deberi non potest, quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam cito ». Ex quibus manifesto liquet orationes illas non dixisse tantum, sed scripsisse atque ad Atticum sua sponte neque invitatus legendas misisse.

*Orationes,
quas extremo
aetatis tem-
pore habuit*

CXXII. Splendorem simul forensem recuperavit; causas enim ad septingentesimum nonum annum post Urbem conditam multas dixit: primam «*pro P. Sestio*» de vi, quam armis, cum esset tribunus, intulisse accusabatur; secundam «*pro M. Caelio*» quem, Clodia instigante, pecuniae, fraudis, veneficii L. Sempronius Atratinus postulaverat; tum tertiam «*pro L. Cornelio Balbo*» de civitatis iure, quod usurpavisse dicebatur; quartam «*pro Cn. Plancio*» qui a Juventio Lateranense, cum quo aedilitatem petiverat, de sodaliciis accusabatur; quintam «*pro C. Rabirio Postumio*» quem socium cum A. Gabinio et reum de repetundis Memmius Gemellus in iudicio fecerat; sextam denique causam celebratissimam «*pro T. Annio Milone*» eo modo egit, quem supra memoravimus. Vicissim inter haec ne ab accusationibus quidem, iustis de causis invitatus, se penitus abstinuit; etenim cum Vatinius quendam, profligatissimae vitae hominem — qui antea in iudicio P. Sextii testis in reum productus fuerat — in manifesto falsi crimine deprehendisset, non modo acerbissime in eum, cum causam diceret, invectus est, sed falsarum tabularum coarguit. In eum itaque postea, cum in iudicio adesset, ita rursus, oratione illa, quae exstat, quaeque «*in Vatinius*» inscribitur, acerbius, si fieri potuit, invectus est, ut patefactis eius flagitiis summum in eum populi Romani odium concitaverit et Ciceronis in eum odium proverbio fuerit; hinc natum illud *Vatinianum odium* quod pro implacabili in hominem quemlibet odio sumebatur.

CXXIII. Ad eloquentiam civilem ceterae orationes pertinent, quas, quotiescumque ei occasio oblata est, aut ad Caesarem, aut ad populum dixit. Perspecto temporum ordine omnes huius generis orationes illa praecedit, quam septingen-

tesimo anno post conditam Urbem « *de Provinciis consularibus* » habuit — nam de his in posterum annum assignandis senatus habebatur —. Non eadem erat patrum sententia: vehementer reipublicae utilitate motus Cicero, ut imperium Galliarum Caesari propter maximas res ab eo gestas prorogandum esse patribus demonstravit, ita A. Gabinio Syriae munus, ita etiam Pisoni Macedoniae abrogandum contendit, propterea quod avare superbeque atque crudeliter provincias administravissent. Auctoritate et gratia, qua post reditum apud bonos cives plurimum valebat, satis facile obtinuit, ut maiorem senatus partem suam in sententiam traheret. Erat in hac re Ciceroni cum Gabinio et Pisone etiam domestica causa. His enim consulibus, Clodius legem illam tulit, ex qua vir consularis et pater patriae in exilium est actus; et praeterea cum senatus frequentissimus a Gabinio atque Pisone quotidie flagitaret, ut de Ciceronis reditu referrent, negotii prorogandi causa hi se rem negabant improbare, sed Clodii lege impediri dicebant, quominus a senatu sententiam rogerent. Adversariorum odia utrimque, post orationem de provinciis habitam, vehementius exarserunt. Piso de provincia cum esset reversus apud patres quotidie conqueri, quod Cicero inique se consecutus esset, in eumque omnibus locis acrius invehi; Cicero vero, occasionem nactus quam primum potuit propitiam, maledicentius quam ille quidem atque maiore qua in dicendo utebatur dicacitate, oratione publice ei in senatu respondit, quae « *in L. Pisonem* » inscribitur; vehementissime, inquam; nam Piso hic, vir consularis, Caesaris socer, *barbarus, Epicurus, Clodianus canis, volturius provinciae, homo deterrimus, teter, truculentus* appellatur, velut si ut moribus et natura infimam suburbii faecem oleret, eadem haec in genus ipsum et familiam redundaret.

CXXIV. Ab otio studiorum atque silentio, in quibus, ut diximus, postquam Caesar de Pompeio triumphavit, ex civilibus tempestatibus tamquam in amoenum hortum sese

Orationes de rebus ad rem publicam pertinentibus

Oratio de provinciis consularibus

Actio in Pisonem

*Orationes pro
Marcello,
pro Ligario,
pro Deiotaro
rege.*

concluserat, victoris moderatio abduxit. Non enim inertia aut animi desidia, sed desiderio pristinae dignitatis in perpetuum tacere statuerat; at eius consilium fregit et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Itaque cum in senatu iterum esse coepisset vidissetque eandem clementiam, quam ipse expertus erat, in M. Claudium Marcellum, se cunctoque senatu rogantibus, gratiose a Caesare adhibitam, id vehementer miratus, ita Marcelli nomine oratione illa, quae «*pro Marcello*» inscribitur, Caesari dictatori publicas gratias multas egit, ut pro acceptis a se beneficiis eas etiam reddere visus sit. Similitudinem enim rerum suarum cum Marcello videbat. Etenim etiam hic in bello civili ardentius secutus erat Pompeium, quo devicto, ne reipublicae ruinas praesens conspiceret, Mytilenas exul concesserat. Huiusmodi generi duae praeterea orationes accedunt, quarum alteram «*pro Q. Ligario*» alteram vero «*pro rege Deiotaro*» eadem veniae obtinendae causa ad Caesarem dixit; res tamen alteri aliter successit. Priore enim oratione ita ad moderationem et misericordiam Caesarem inflexit, ut Q. Ligario — cui iratus erat, quod etiam post eius victoriam rebus novis obstitisset — cum in praesens reus de vi a Q. Tuberone fieret, et culpa veniam dederit et Romam redeundi facultatem fecerit. Res autem, Deiotari regi venia denegata, non ita prospere processit. Ad irritum tamen penitus non cecidit, siquidem Caesarem continuit, ne poenam a rege sumeret graviorem propter insidias, quas hic illi instruxisse accusabatur.

CXXV. His profecto orationibus, quibus *Dictatoris* laudes maximas celebravit, viro sapienti non minus temporibus quam levitati aliquantum indulgendum fuit. Neque enim honestum litterarum otium aequo animo ferre poterat, quod in publicis malis solacio sibi futurum esse speraverat, neque curia, iudiciis, foro, concionibus, ad quae natura sua trahebatur, omnino carere assueverat. At Caesare interfecto tamquam nihil in victoria moderatius eo novisset, rem publicam

in pristinum statum revertisse ratus fortunae civilium se contentionum denuo commisit, cumque animum viresque recepisset, in Antonium, qui renascentem reipublicae libertatem regie seu tyrannice potius opprimebat, eloquentiae armis de iure publico summa cum dignitate disceptaturus, quattuordecim orationes, quae « *Philippicae* » ab ipso seu etiam « *Antonianae* » appellatae sunt, magna morituri voce conclamavit, iisque nobilissimum oratoris curriculum et vitam finivit. Antonius, qui principem civitatis post Caesaris necem se futurum sperabat, Ciceronem in suam partem trahere, quo posset modo, conatus in senatum invitavit; at hic eo die in senatu esse noluit; postero in eum orationem primam dixit. Civilem sapientiam adhibens, alia Antonii consilia laudavit, alia exprobat, seque tamen liberae reipublicae factorem et defensorem exhibuit et apertissime ostendit. In secunda oratione, se ipsum contra Antonium defendit, qui eum participem coniurationis in Caesarem fecisset; dein quae Antonii vitia, crimina, mores a puero fuerint, describit. In ceteris orationibus consules, senatum, populum incitat, urget, ut liberae reipublicae rationibus prospiciant, arma parent, reipublicae hostem Antonium renuntient, bellum indicant, si rempublicam servare velint, a Bruto Cassioque salutem civitatis expectent. Orationem ultimam a. d. XI Kal. Febr. anno septingentesimo undecimo dixit.

CXXVI. Neminem credo, ex temporum omnium memoria oratorem in iudiciis et concionibus, in foro et in curia, in senatu aut maiore assiduitate habitasse, aut maiore gaudio et contentione in omni eloquentiae genere esse versatum. Ius omne civile et naturale in forensibus iudiciorum disceptationibus aut deliberationum non attigit, sed pertractavit eiusque et usum et scientiam et studium ad reipublicae moderandae rationem sapienter contulit. Quam et quantam rerum ac disceptationum in eius orationibus varietatem! quot publicas et privatas multifariam pertractatas civium causas!

*Oratio
in Antoni
quibus curri-
culum vitae
finivit*

*Cic. II. ad
Brut. 5. 4.*

*Incredibile
in Cicerone
eloquentiae
studium fuit*

*Ciceronis
cum Demosthene com-
paratio*

quot de legibus condendis, de iure publico, de maiorum institutionibus integris servandis nobilissimas contentiones! Romanorum profecto aut magis eo dixit, aut melius nemo; nemo ex honestissima defensione eorum, qui in ius innocentissimi vocarentur favorem tantum, aut famam ardentius cupiit; nemo in hoc munere fungendo maiorem artem, aut studium, aut firmiorem elatioremque animum posuit. Civili ratione et sapientia orationes illae refertae sunt, quibus rempublicam adversus Catilinam Antoniumque defendit; ob hanc causam cum Demosthene Ciceronem tum animi, tum ingenii, tum eloquentiae civilis laude, non conferendum modo, sed etiam adaequandum puto. Sit nervis et orationis lacertis, quibus se Graecus commendat, Cicero longe inferior; careat hic sententiarum fulminibus et claris quasi verborum ignibus, quibus ille — Iovis instar ex Olympo in homines fulgurantis — fulgurat et micat, adversarios petit et exterminat. At habet vicissim suos impetus noster atque vim et ardores; odiis ex improvise concitatur et indignatur; variis animi motibus non minus exardet quam ille inflammatur. Quis cum in Verrem, cum in Clodium invehitur ardentior illo, cum Pisonem aggreditur, cum Antonium, incitator quis? vicissim tanti sententiarum copia fluentique verborum ambitu Demosthenem superat, quanti ad Platonem proxime accedit; eundemque suavitate et concinnitate orationis, tum omnium artium atque disciplinarum scientia praestat. Quid? si non eadem in omnibus orationibus aequabilis rerum granditas et magnificentia sententiarum reperitur? Nonne sermones quasi familiares, quibus eos, qui audiunt, docere videtur, et dissimulationes facetissimae, quibus carpit; nonne ioci, fabulae, exempla ad id, quo intendit orator, magno opere valent? Hac ratione Cicero animorum conciliationem et sensuum permotionem in perpetuis orationibus ita fundit, ut sanguis est in corporibus fusus; in iisque quasi sanguis ad molliendos animos incitandosque perenniter fluit.

CXXVII. Maxima fuit in eo, in contexendis exordiis, benevolentiae conciliandae facultas, incredibilis in refellendis adversariorum probationibus subtilitas, mira in rebus narrandis exhibendisque rationibus facilitas. In exordiis plerumque dicendi genere utitur temperato, quod medium rhetores dicunt; at floridior in his quoque et fluens oratio est, atque clarissimis verborum luminibus ornata atque ad mensuram cadens, quae aures delectet. Interdum tamen sine exordio et insinuatione in mediam rem dirumpit, ut in orationibus quas in Vatinius, in Pisonem asperrime dixit. A rhetoribus in exemplum initium primae orationis in Catilinam solet afferi, quo nihil incitatus: «*Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? constrictam iam omnium horum scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora! o mores! senatus haec intellegit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem, fortes viri, satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina*» et reliqua. Mira est ceterarum partium convenientia et consensus. Rem enim, de qua senatus vel iudices sententiam laturi sunt, ita exponit, ut verisimilis narratio sit, ut omnibus aperta, ut brevis. Pulcherrimae narrationes in orationibus habentur, quas in Verrem dixit. Omnia non solum ordine componit, sed privata a controversia omnia ad universam vivendi rationem dilatat atque convertit. Causam proponit,

*Orationum
partes et
contextus*

*Exordium
orationis pri-
mae in
Catilinam*